DE DISPENSATIONIBUS
IN GENERE
Theſes Canonico Theologicæ

EX DOCTRINA

PAULI LAYMAN

Societatis JESU

Quas enodandas, ac defendendas proponit in Congr. Sacrorum Canonum, & Caſuum.

PETRUS BRESCIANI MUTINENSIS

Ejuſdem Congreg, Academicus.

* * * *
* * *
* *
*

ROMAE MDCCLII.
Apud Heredes Jo. Laurentii Barbiellini
in Foro Paſquini.

PRÆSIDUM FACULTATE.

R. R. SACERDOTIBUS,

Clericis, cæterisque Academicis

Congregationis Sacrorum Canonum, & Casuum.

Petrus Bresciani Mutinensis Salutem plurimam.

Literarias inter exercitationes, quæ in hac Sacrorum Canonum, & Casuum Academia semel in Hebdomada fieri solent, pluris enimvero facienda illa est, qua interdum unus aliquis ex Academicis Tractatum de re morali vel canonica a Layman editum sibi suscipit publice enodandum, ac defenden-

dum, controversias ex eo plures proponit; electionem oppugnandi Auditoribus permittit, sic quippe suarum virium is periculum facit, & solida, probataque doctrina, re nimirum ad trutinam revocata, animum imbuit. Hæc sane Provincia ita mihi semper arrisit, ut eam mihi deposcere tandem constituerim. Materiam proinde de Dispensationibus ex Laymanno selegi, non solum rei gravitate, sed etiam utilitate adductus, ut, videlicet, in urbe Sacrarum Legum Interprete, ac Moderatrice, eorum quæ in ipsa frequentissime ad manus sunt, penitiorem mihi scientiam, & cognitionem compararem: Videar fortasse nimium mihi tribuere, qui cum nec ingenio, nec studio, sim cum iis qui adsunt, comparandus, disceptationem nihilominus coram ipsis de re morali, & canonica instituere minime dubitem. Verum dabitis, ut spero, mihi veniam, si apud vosmetipsos reputaveritis, me

tan-

tantum Curæ, operisque suscipere, non tanquam rerum præclarissimarum scientiam assequtum me credam, sed tanquam qui assequi pro viribus contendam: omnino id non frustra: sic enim quamvis voti compos ad plenum non fiam, ignaviæ tamen notam saltem effugiam, nam cunctatio *in rebus magnis capessendis, ut optime olim ajebat Plinius lib. 2. ep.* 10. cum modum excedit, verendum est, ne inertiæ, aut desidiæ, vel etiam timiditatis nomen accipiat.

Valete.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiss. P.S. Palatii Apost. Magistro

F. M. De Rubeis Patr. Constantinopol.

IMPRIMATUR.

Fr. Jos. Aug. Orsi Ord. Praed. S. P.A. Mag.

DE DISPENSATIONIBUS

Theses Canonico Theolog.

EX PAULO LAYMAN

Societatis Jesu.

§. I.

Quidditas dispensationis.

1. DIspensatio in *genere*, est Legis relaxatio publica auctoritate facta: Quare actus est Jurisdictionis voluntariæ, & distinguitur primo ab *absolutione*, quæ fit v. g. a Censuris, nam per hanc non relaxatur vinculum Legis, sed alterius obli-

gationis. Secundò distinguitur ab *interpretatione* secundum Epikejam: quia per hanc obligatio legis non tollitur, aut relaxatur, sed declaratur per se ipsam cessare.

2. Aliud est dispensare, aliud licentiam dare; cum enim superior licentiam dat aliquid agendi non dispensat in lege, sed ponit conditionem, qua posita, lex non obligat; Leges quippe nonnullæ ita latæ sunt ut opera quædam prohibeant non *simpliciter*; sed *ne fiant sine licentia*, & ideo quando ita fiunt, non ex dispensatione fiunt, sed ex concessione ipsiusmet Legis. Hinc Abbatissa licentiam dare potest. Moniali aliquid accipiendi, vel donandi, licet in voto Paupertatis dispensare nequeat. Hinc etiam superior licite licentias aliquas concedit, ne nimis austerus videatur, cum tamen ad licitas dispensationes, hoc non sufficeret.

§. II.

§. II.

De causa efficiente Dispensationis.

3. Potens dispensare alter est *ordinarius*, alter est *delegatus*, dispensat potestate ordinaria in sua lege in primis Legislator, deinde ejus successor, Postremo Legislatoris, ejusque successoris superior. Propterea.

4. Summus Pontifex potestate ordinaria dispensare potest in omni Ecclesiastico jure tum universali, tum particulari: Adde posse etiam dispensare in lege qualibet *Apostolica humana*, ut in lege jejunii Quadragesimalis, in observatione diei Dominicæ, in Bigamo non ordinando &c. at nequit in jure positivo Divino juxta S. Thomam. 2. 2. q. 88. art. 10.

5. Episcopus potestate ordinaria dispensare nequit in Lege Universali Ecclesiæ, quia inferior non dispensat in lege superioris; excepto casu necessitatis, si ad summum Pontificem non sit facilis accessus, qua de re Navarrus cap. 22. num. 8. Sanchez lib. 2. disp. 30. aliique citati a Layman, qui ajunt Epi-

Episcopos ex præsumpta facultate Summi Pontificis posse dispensare pro casu necessitatis in Matrimonio publice jam contracto dummodo impedimentum sit occultum; & aliæ occurrant circumstantiæ; imo, & ante Matrimonium si alia ratione gravissimæ necessitati succurri nequeat, quod tamen Layman non facilè admittit. Possunt pariter Episcopi ex eadem Summi Pontificis præsumpta facultate ob causam dispensare in materia levi, aut frequenter occurrente v.g. circa Festa, Jejunia &c. Qua de re S. Thom. in 4. dist. 15. qu. 3. art. 2.

6. Parochis jure ordinario non conceditur Potestas dispensandi, sed interdum ex speciali privilegio, vel consuetudine introducta, ratione necessitatis in casibus frequenter occurrentibus. Qua de re Cajet. V. jejunium, aliique citati a Layman.

5. Habens Potestatem delegatam dispensandi est in duplici differentia. Alter quippe eam habet a *jure* ratione Officii, aut dignitatis, alter habet ab *Homine*: Potestas delegata a *Jure* si fiat in perpetuum ratione Officii, aut Dignitatis, æquiparatur Ordinariæ, unde regulariter subdelegari eam

al-

alteri posse, docent quamplures Doctores cum Glossa; idque non tantum in casibus particularibus; sed etiam generaliter, nisi in concessione expressum sit, ut per se ipsum illam delegatus exerceat.

8 Potestas dispensandi delegata ab *Homine*; vel datur per modum puræ commissionis; seu mandati; vel per modum Gratiæ; Quæ datur per *modum mandati* expirat mortuo delegante; aut deposito; si res integra sit; sive causa non dum exequtioni mandari cœpta est. Quæ vero datur *per modum Gratiæ*, si absolute collata fuit non expirat morte concedentis.

9. Habens Potestatem dispensandi cum Communitate; cujus ipse membrum est, etiam secum non solum indirectè, aut mediate, sed etiam immediatè, & directè dispensare probabilius potest.

§. III.

§. III.

De Causa Materiali dispensationis.

10. IN nullo Jure naturali dari proprie, & directe potest dispensatio, neque a Deo, neque ab alio vices ipsius habente: Sic Layman cum S. Thoma 1. 2. qu. 106. art. 8. exempla autem quædam in contrarium adduci solita non probant dispensasse Deum in Jure naturali, sed mutasse circumstantias rerum, & conditiones, in quibus Jus naturale obligabat.

11. Potest Deus dispensare in Jure Divino positivo, hanc tamen dispensationem credendum non est Deum concessisse, nisi per Ecclesiæ auctoritatem id constet, aut per aliam certam relevationem ab Ecclesia approbatam: ex cap. *nisi cum pridem* de renunciat, *& cap. cum ex injuncto, de hæreticis*.

§. IV.

§. IV.

De Causa formali dispensationis.

12. AD validam dispensationem non requiritur certa verborum forma, sive ex natura rei, sive ex jure, sed illa verba sufficiunt, quæ juxta communem usum, & dispensantis voluntatem, & effectum dispensationis satis indicare valeant.

13. Dispensatio aliquando non fit verbis, sed aliis signis, vel factis indicatur, ex quibus voluntas dispensantis perspici possit, unde dividitur dispensatio *in expressam, & tacitam*.

14. Ad tacitam dispensationem omnino necessaria est scientia ejus, quod agitur, qui enim nescit, utique nec consentit, nec dispensat, quare ratihabitio, quæ dicitur de præterito, nullo modo sufficit ad conferendam potestatem, aut valorem illi actui ad quem actualis voluntas conferentis requiritur.

§. V.

De Causa finali dispensationis:

15. DIspensatio justa est, quæ cum causæ cognitione fit, seu quæ ob justam causam fit.

16. Si superior in Lege propria dispenset absque justa causa, valet dispensatio: quamvis ipse, & qui talem dispensationem petit, eaque data utitur, saltem venialiter peccent.

17. Si inferior sine justa causa in lege superioris dispenset, irrita est dispensatio.

18. Si causa dispensandi subsistat cum dispensatio facta ab Ordinario, vel Commissario intrinsecum effectum consequta est, nihil interest, etsi postea causa cesset, dummodo tamen dispensatio non fuerit in eis, quæ tractum successivum habent, nam data in iis dispensatio, cessante causa finali, & ipsa pariter cessat.

19. Taciturnitas Qualitatis cujus expressionem jura, vel stylus Curiæ specialiter requirunt, reddit dispensationem subreptitiam.

20. Valet dispensatio ex pluribus causis motivis adæquatis impetrata, dummodo una ex